

1539

Marco
Grimano,
Pontificis
legato, tri-
remes tres
conceditur.

lamitate afficeretur. Senatus prudentissimi senis consilia, propensumque in Rempublicam animum magni faciens, omnia cum eo consilia communicabat, atque ut egregiam in illum voluntatem patefaceret, Marco Grimano, legato, ejus nomine tres triremes petenti, quibus ad maritimæ oræ præsidium uteretur, liberaliter concessit. Neque vero ullum officii genus, ut ad Neocastrum ex foedere Venetis Cæsareani traderent, prætermiserat; cum tandem Auria Cæsaris jussu iis conditionibus Reipublicæ concessurum diceret, ut quindecim aureorum millia in stipendia propugnatorum tribuerentur, impensæ pro illius defensione ex Pontificis præscripto Cæsari penderentur. Ea de re a Joanne Basadonna, legato, doctore, atque equite, qui Marco Antonio Contareno successerat, cum Pontifice actum, tandemque ad hujuscemodi conditiones deventum est, ut, Neocastro recepto, illico undecim aureorum millia numerarentur ad decem peditum millia conscribenda; de reliquis controversiis Pontifex decerneret. Verum cum, re maturius perpenſa, Chariadenum propediem Neocastrum aggressurum nuntii perferrent, minime e Republica Patribus visum est, quæ sæpius ex foedere petita, a Cæsareanis vel pernegata, vel dilata fuerant, importuno tempore recipere, quo & pax penitus abjiceretur, & graviori belli onere Respublica premeretur.

Veneti Neo-
castri dedi-
tionem ab
Hispanis
oblatam re-
jiciunt.

Ulamanes
& Charia-
denus ad
Neocastri
oppugnatio-
nem.

Hæc dum agerentur, augusti mensis initio Chariadenus cum classe nonaginta triremium, rostratorum navigiorum triginta, quæ Dragutes ductabat, in Rhizonicum sinum pervenit; atque eodem tempore Ulamanes præfectus cum triginta equitum, ac peditum millibus propinquos colles occupavit. Chariadenus sinum nactus, quo ab oppidi ictibus se protegeret, triduum in exponendis tormentis, erigendisque munitionibus absumpsit, quæ nocte tantum erigi, ac perfici poterant, cum in illos, qui operi incumberent, continenter ab Hispanis machinarum omnis generis globi excuterentur, ut supra mille ex hostibus convulnerati, atque interfecti sint. Operibus perfectis, ingenti cum majorum, tum minorum tormentorum vi exposita, oppugnationem instituit. A septentrione Ulamanes; ipse ab oriente; a mari Salecus, admotis triremium proris, mœnia quaterere cœpere; idque acriter adeo, & absque ulla intermissione fiebat, ut oppidi, quod loco edito situm est, mœnia ingenti uina conciderent.

Sar-